

PSALMUS XCIV.

Inscriptio psalmi hujus post LXX. apud Vulgatum, Arabem & Æthiopicum est: psalmus ipsi David, quartâ sabbathi, i. e. die Mercurii. Syrus: Davidis, de cœtu Kora, Dathan & Abiram; spiritualiter verò de persecutione adversus ecclesiam. Verum nil horum in fontibus, nec in Chaldæo.

EXPLICATIO VERSUS I.

Deus vindictarum: i. e. Deus vindex, vel justè puniens flagitia commissa; injuriamque porrò metuendam fortiter propulsans! Posterius substantivum æquipollet Latinorum adjectivo vel participio, vindex, aut vindicans, sicut Psalm. XXIV, 5. LI, 16. LXV, 6. LXXIX, 9. Deus salutis meæ; i. e. salvans me vel salvator meus. Psal. XLII, 9. Deus vitæ meæ, pro, vivificans me: Psal. XLIII, 2. Deus roboris mei, i. e. corroborans me: vers. 4. Deus gaudii mei, i. e. exhilarans me. Sic & Deus vindictæ, i. e. vindicans, vel ad quem solum judicialis hæc pertinet potestas, Deut. XXXII, 35. Est verò vindicta talis retributio, quando pro injuriâ illatâ vel sceleris comisâ ratione, debita rursus delinquenti infertur pœna; quomodo vidimus Psalm. LXXIX, 10. ubi de vindicta sanguinis fervorum Dei effusi. In plurali autem vocatur Jehova Deus ultionum (non ultionis,) eò quod multiplex sit vindictæ divinæ varietas ac copia, & quod solus ipse omnem, vel immediatè vel mediate per magistratum &c. exequatur vindictam, sicut inquit Deut. XXXII, 35. mea est vindicta & retributio. Hac ratione Jephthæ ait filia ad patrem, Jud. XI, 36. fecit tibi Dominus multiplicem, conspicuam ac copiosam ultionem de inimicis tuis, de filiis Ammon: item servi Isbofethi perduelles ad Davidem 2. Sam. IV, 8. dedit Dominus Regi vindictam copiosam hodie de Saule & semine ejus: c. XXII, 48. & Psalm. XVIII, 48. Deus dat vindictas mihi, & dejicit populos sub me: Ezech. XXV, 17. faciam in eis (Philisthæis) ultiones magnas cum increpationibus iræ, &c. confer Rom. XII, 19. Ebr. X, 30. Nab. I, 2. 2. Thess. I, 8. Jer. LI, 57. Repetitur autem hicce Dei titulus, ob hostium insolentiam, de quâ conqueritur David, usurpatus, per Epizeuxin, non citra peculiarem emphasin; ita siquidem Psaltes tanto evidentius ac firmitus in memoriam quasi Deo vult revocare suum tum officium, tum priora facta gloriosa, ne alium se nunc gerere incipiat, quam gesfit antea, &c. vide similem figuram Psalm. XCIII, 3. Campen: qui potestatem habes ulciscendi injurias tuorum. Verum non sola potestas, sed & actuale exercitium, tamdiu ac toties hucusque exercitum, meritò comprehensum hic dicitur.

illustri apparere: i. e. evidente majestatis tuæ signò præsentiam tuam palam declara, instar solis exorere, nec te dormientis aut desipientis mōre à nobis porrò subtrahe: appare hostibus in terrorem, nobis in solatium. Vide Psalm. L, 2. ex Zion (in) consummatissimò decore Deus illustri apparere: & Psalm. LXXX, 2. o pastor Israël audi, sedens super Cherubim apparere. Vulg. in præteritò, libere egit: i. e. pro placitò suò semper ultus est impios, secundum Tim. Verum est imperativus, ceu satis probant

A subsequencia, quæ præsentis petitionis seu vòti sunt uberior exaggeratio. Inde & Campen: conspicuus appare.

EXPLICATIO VERSUS II.

extollere: vel eminentiorem potentiorumque te cunctis nostris hostibus exhibe, altitudinem tuam factò ipsò ostende, postquam diu satis, abjectam, prostratam, imò nullam planè esse potestatem tuam imaginati sibi sunt prævaricatores. Opponitur enim hocce verbum elevavit, sustulit, depressioni vel exinanitioni; adeoque in Niphal idem est ac, elatus, excelsus fuit, ut Jes. II, 12. dies Domini veniet super omnem excelsum & elatum, & humiliabitur: vers. 2. mons domus Domini elatus erit præ collibus: c. VI, 1. vidi Dominum super solium excelsum & elevatum: c. LIII, 13. ecce intelligens erit servus meus, exaltabitur & sublimis erit valde. Jer. LVII, 15. sic dicit Dominus: Psal. VII, 7. surge Domine in irâ tuâ, extolle te ob furorem inimicorum meorum. Jer. XXXIII, 10. nunc surgam, dicit Dominus, nunc exaltabo meipsum &c. Unde simul constabit, tam de altitudine imaginariâ, quam verâ, tam de sensibili, quam intelligibili, tam de eâ, quæ talis semper agnoscitur, quam quæ post aliquod intervallum se rursus exerit, vocem hanc usurpari. Nonnulli ad Altiorum judicis in tribunali sedem hoc referunt; quando eo conscendit Judex, hætenus otiosus: quod ipsum adjungi poterit iis, quæ jam sunt dicta: confer Psalm. VII, 7.

Judex terræ: qui scilicet unius cujusque hominis, quotquot unquam aut uspiam in totò terrarum orbe viverunt aut victuri sunt, facta vitæ tamque accuratè attendis, examinas, repensas, penes quem est retribuendi jus ac facultas, &c. Gen. XVIII, 25. Psalm. LXXXII, 8.

refer retributionem: i. e. fac, ut inter superborum immanem insolentiam, & inter justas insolentiæ hujus pœnas, æqualis sit proportio, adeò, ut quò tumidior fuit ipsorum factus, eò gravior sit sequens ignominia; quo crudelior miserorum fuit persecutio, eò favius sit aliorum in hos detrusos persecutores dominium, &c. Vide eandem hanc phrasin Psalm. XXVIII, 4. item Joel. III, 4. num retributionem vos rependetis mihi (Deo?) citò ac velociter referam retributionem in capita vestra.

superbos: qui videlicet suæ turpiter oblii fragilitatis, nec tui, nec tuorum, ullam hætenus habuere curam, verum fastuosè omnia & sacra & profana despexerunt jura, suo solum indulgentes genio, suis intenti commodis, honoribus, &c. cujusmodi superbus erat Moab Jer. XVI, 6. item hostes Davidis retia ponentes ipsi, Psalm. CXL, 6. qualibus certus imminet interitus, Prov. XV, 25. & quibus humiles opponuntur, c. XVI, 19.

EXPLICATIO VERSUS III.

usque quo: incipit quæritiâ de diturnis impiorum insolentiis ac progressibus felicibus, adeò ut magnâ cum trepidatione finem exoptent